



# **Ad illustrissimos Germaniae principes Augustæ congregatos, De conuitijs Eccij, epistola Huldr. Zuinglij.**

<https://hdl.handle.net/1874/420771>

# AD ILLVSTRIS

SIMOS GERMANIAE PRIN-

cipes Augustæ congregatos, De conui-  
tijis Eccij, epistola Huldr.

Zuinglij.

Christus Matth. XI.

VENITE AD ME OMNES QVI

laboratis & onerati estis, & ego re-  
ficiam uos.

TIGVRI APVD CHRISTOPHORVM

FROSCHOVER, ANNO

M. D. XXX.

Wm. 632

ILLVSTRISI  
MIS GERMANIAE PRINCIPIBVS,  
in comitijs Augustanis congregatis,  
Huldrychus Zuinglius,



Ratiam & pacem optat à  
Deo patre, & Iesu Chri-  
sto filio eius redemptore  
nistro. Potuissim illu-  
strissimi Principes, quod  
ad me attinet, citra omnē  
dolorem Eccij maledicta  
præterire, cum quod ser-  
uator noster isto nos eu-  
logio consolatur, ô beatos uos cum maledixerint  
uobis homines. Tum quod sapientes uiri docent,  
contumeliam non esse nisi à recipiente, is enim si se  
imperium animi contractione huiusmodi telis fe-  
cerit, non magis ea recipiet quam saxum. Sed cum  
ille mendacijs, & pietatem euertere, & uetustissi-  
mam Tiguriorum urbem obruere, etiam impune  
satagit, iam à pietate ipsa exciderem, si Allophylum  
istum tam superbè ueritati insultantem non funda  
& lapide petiero. Porrò cū ille iam indubie aut cres-  
puit, aut nexus est, si modo ex animo tantum con-  
uitorum deprompsit, rumpi enim aut mente capi  
oportet

oportet tanto furore distentum ad tam immanem  
contumeliarum ejaculationem, si uero ex animo sic  
debacchatus non est, ut nihil periculi ei immineat, à  
tam inusitato maledictorum puerperio, iam utraqz  
causa satis magna est, ut ad illum nihil demus. Nam  
si furit discerperet, non legeret epistolam, si nō furit,  
sed ex hypocrisi tam grandia detonat, non perpen-  
deret suo more quæ dicimus, sed deprauaret sanè di-  
cta insanis calumnijs. Hinc factum est, ut celsitudi-  
nem uestram, isto misso, adpellem, nō alia re fretus  
quàm fiducia dexteritatis uestræ, qua spero adhuc  
fore ut pro germana Germanorum uirtute & reli-  
gione, aures fideliter sententiam aut causam suā ex-  
ponentibus, non minus adcommodetis quàm ca-  
lumniatoribus, quantumuis uel clamore obruant,  
uel propius fese uobis insinuent. Res em̄ ut seip̄sis  
forte non tam arduæ sunt, studijs tamen & conten-  
tionibus hoc magnitudinis creuerunt, ut ni uos con-  
tentiosorū studijs, & impenetrabiles & æquos iu-  
dices, qui non pronuncient anteçz uniuersa causa  
undicz sit perspecta, exhibeatz, iam aliquid turbat,  
dissidia non parua, paruis tamen initijs nata, dare  
poterint. Cum autem per omnia quæ Eccius in ra-  
tione fidei nostræ, non iam carpit, sed instar filie-  
stris apri uastat & calcat, si dījs placet, nihil eque Ro-  
manenses offendat atqz duo ista, Quòd sacramen-  
ta gratiam nec cōferant nec dispensent: &, quòd in  
sacra coena Domini, Christi naturale corpus non

muligia

A ñ

edatur. Immò non tantū Romanenses, sed eorum etiam quosdam qui ab Euangelio stare uidentur. Iam operæ preciū uisum est de his pauca uelut præsidiolū submittere, ut si cui quid obscurius dictum esse uideatur dilucidius fiat. Faciam ergo id, opitulante Deo, hac lege, ut aduersarij furor nec responsum nec calcar datus sim, sed uestræ celsitudini, sententiam in hac re nostram clarius ac clarius probaturus, hoc modo.

In sacramentis, duo omnino consideranda sunt, Res & Sacmentum, siue signū rei: Res est id, cuius causa instituitur signum, quod Sacmentum uocamus. In circumcisione res est, esse de populo Dei: signum autem huius rei sacræ est, præputij incisio. In coena agni, res est gratiarum actio pro liberatione Aegyptiacæ seruitutis. Signum autem huius sacræ rei, agnus assus cum reliquis quæ in ea actione fierimos erat. Sic in Baptismo res est, esse de Ecclesia Christi. Sacmentum, in aquam cum sacris verbis tinctio. In Eucaristia res est, ex fide gratiarum actio pro Christo à Deo nobis tradito, & p peccatis nostris crucifixo. Sacmentum autem, panis & uini cum sacris Domini uerbis exhibitio. Cum ergo ista in omni sacramento concurrant, sit ut sacramentis nomen rerum, quarum signa sunt, detur. Hinc circumcisio foedus uocatur, cum foedus esset, gentem istam ex Abraham prognatam, fore peculiarem populum Dei. Huius autem foederis signum ac ueluti sigillum

sigillum externum erat circumcisio. Agnus uocatur  
transitus, cum transitus esset ea præteritio qua per-  
cutiens angelus trucidatis Aegyptijs, Israëlem præ-  
teribat, agnus autem eius præteritionis signum ex-  
ternum erat. Nec iniuria signis rerum nomina tri-  
buunt, propter significationē & analogiam: Cum  
enim circumcisionis signum eis dabatur qui de po-  
pulo Dei essent, iam signum istud significabat rem,  
puta, esse hunc de populo Israëlitico qui circūcisus  
esset. Nam in cunctis ceremonijs ac ritibus hoc uul-  
gare est, ut signa & ceremoniæ nomina accipiant re-  
rum quarum signa sunt. Testamentum uocat, scri- simile.  
ptum & instrumentum. At res ipsa quæ testamen-  
to legatur & addicitur, puta pecunia, aurum, argen-  
tum, uestis, suppellex, domus, ager, immo uniuersa  
hereditas siue ex asse siue ex parte, ea inquam res te-  
stamenti est. Scriptum uero,istarum rerum signum  
& cōfirmatio, nam legatio ipsa omnino antecessit,  
& in testante perfecta fuit protinus ut ista legaturū  
spopondit ac decreuit. Huius autē decreti signum,  
quo alijs quoq; legantis uoluntas pateat, scriptum  
est, in quo legata ex nomine continentur non ipsa  
legata, adhuc tamen scriptum testamentū uocatur,  
cum id sit, res cum uoluntate legantis addicta. Cla- simile.  
ues cum regnum adeuenti principi aut imperatori  
offeruntur, deditio signum sunt: cum ipsa dedi-  
cio sit, rerum oblatio ac permissio. At claves quan-  
tuuis res nō sint, adhuc tamen cum dicitur, Vrbs

aut arx illa uel illa obtulit principi claves, intelligimus aut deditio[n]e aut receptione esse factam, quæ prius fuit decreta quam deditio[n]is aut receptionis signum daretur. In contractibus & stipulationibus, conditiones res sunt contractus aut stipulationis. Earum conditionum signum est, manus iunxit, unde quid stipulata manu facta esse dicimus, quod post istud signum minus tergiuersari liceat. Cum ergo manuum coniunctionem, contractum aut stipulationem uocamus, signo tribuimus rei nomen, nam manuum complicatio nulla ratione potest esse contractus: sed contractus per certas conditiones antea factas, res est, manu autem coiunctio, signum modo est contractus. At hoc signum quantumuis non est res, additum tamen, rem ipsam ueluti testimonio & confessione firmat, quo non liceat inficiari, nam aliâs inter duos, si perfidia non esset mentuenda, satis esset contractus conditiones statuisse. Ad eum modum est in sacramentis quoque considerandum. In baptismo res est, esse de ecclesia & populo Christi, baptismus sacramentum est, eam rem significans, nempe suscipientem esse de Ecclesia, non quod baptismus rem praestet, sed ut rem prius praestitam multitudini testetur. In Eucharistia res est, ex fide gratias agere Dño pro beneficijs quæ nos per filium suum redimendo prestitit. Panis & uini, sacrorum symbolorum, diuinis uerbis sanctificatorum sumptio, eius rei sacramentum est, gratiarum ergo actio non est,

est, uel peccatorū remissio, uel panis & uīnū Christi corpus naturale, sed ea tantummodo significat atq; in rem præsentem uelut adducit, repræsentando & contēplationi fidei offerendo. Nā si ista præstaret aut esset, iam res esset, non sacramentū aut signum. Omne aut sacramentū est signū, sicut Sententiarū quoq; Magister habet. Si ergo signū tantū rei est, res ipsa non est. Adhuc tamen cum rerū uocabula tribuimus signis, iam per hoc non transeunt in res, neq; etiā res in signa. Attamen signis uel sacramentis in oratione pro re ipsa uti, cum multa gratia coniunctū est. Qua figura post Christū Apostoli quoq; sunt usi. Quoties uocat Paulus circūcisio nem, gentē suam, quòd ea gens Dei esset. Quoties incredulos eodē iure præputium, q;uis præputium non esset sacramentū? Sed quoniā circūcisio sacramentū erat, que pro circūcisīs interim, interim uero pro ipso foedere capiebat, & circūcisioni præputium opponitur, iam tanta est libere abutendi uocibus cum gratia potestas, ut præputium, etiam non sacramentum, pro incircumcisīs ponatur. Nō quòd circumcisio id esset quod circumcisi, aut præputium id quod incircumcisi. Sed quòd sacramentis integrum est uti pro rerū uocabulis. Idem ad Titum sic inquit: Cum uero bonitas & benignitas Dei saluatoris nostri adparuit, iam sanauit nos, non propter iusta opera quæ nos fecissemus, sed pro sua misericordia, per lauacrum regenerationis, &

renouationis spiritus sancti, quem liberaliter effusit in nos, per Iesum Christum salvatorem nostrum. Quis hic non uidet lauacro regenerationis tribui, quod uerè & re ipsa solius diuinī spiritus est: quantum enim Paulus priore loco dixerit, nos renatos per lauacrum regenerationis, quō tamen ad pertius intelligatur, protinus ἐφιέμητικόρ, hoc est, exposituum Et, subiungit & dicit, Per lauacrum renovationis spiritus sancti. An non re ipsa & uerè, spiritus sancti est regenerationis? Lauacrum ergo regenerationis cum baptismus uocatur, an non sacramentum ueræ spiritus regenerationis nomen accipit? Quanta uero cum gratia, cum non iam symbolum uocatur lauacrum, sed etiam spiritus diuinī interna operatio & renouatio, quae sacramento significatur, lauacrum adpellatur? Sic mutuantur rerum ac symbolorum à se inuicem uocabula. Eundem sensum in Ephesiorum epistola, sed densiore atque abstrusiore tropo extulit. Ut sanctificaret illam mundando aquæ lauacro cum uerbo. Ut hic nihil dicam Verbum Hebræis pro, Re, accipi: & In, poní pro Cum. Num Ecclesia alio quam Christi sanguine lota est? Baptismalis ergo ablutio quid quam huius principalis ac ueræ sacramentum est? Sed iuxta hæc, quis poterit hanc sermonis gratiam, uel imitari, qua sacramentum pro re ipsa cuius lauacrum signum est, posuit. Immò quis sacramenta nō pro sacrīs, lātīs & uenerandīs rebus amplectetur,

cum

*Sacerdenta res  
suo modo etiam  
sensibus repre-  
sentant.*

cum nobis tam sublimes res nō iam significant, ue-  
rum etiam suo quodā modo oculis ac sensibus sub-  
iijciant. Cum em uel infans uel catechumenus, do-  
cetur aut rogatur diuinarum rerum confessionem,  
an non iam uerbo diuina mysteria prædicantur ac  
repræsentantur? Cum uero mergitur, an non iam  
mors Christi atq; adeò sepultura ipsa ante oculos  
ponitur? cum emergit, an non resurrectio? Cum in  
coena Domini, mors eius adnunciatur, non modo  
præeuntis sermone, sed fidelis animi læta gratula-  
tione, an non diuina liberalitas exponitur, & cum  
gratiarum actione in memoriā reuocatur? Cum ue-  
ro panis & uinum, quæ ipsis Domini uerbis conse-  
crata sunt, simul fratribus distribuuntur, an nō iam  
totus Christus uelut sensibiliter (ut etiam, si uerba  
requirantur, plus dicam quam uulgo solet) sensibus  
etiam offertur? Sed quomodo? an ne corpus ipsum  
naturale, manibus & palato tractandum? Minime,  
sed animo offertur istud contemplandum, sensui  
uerò sensibile eius rei sacramentum. Liberius enim  
ac expeditius agit mens cum à sensibus quam min-  
imum alio uocatur. Cum ergo & sensibus obicitur  
quod simillimum est ei quod mens agit, iam nō le-  
uis est sensuum opitulatio. Adde, quod non est insi-  
mi momenti, quod ea signa sic à Christo ipso sunt  
instituta, ut etiam analogia sua, plurimum polleant  
ad inducendum in rem fidei & contemplatione pre-  
sentem. Quo sit, ut quandoquidem ad hoc instituta

B

Sacramenta ad=  
iuant contem=  
plationem.

Sunt sacramēta ut sensibiliter doceant, moneant, & delectent, nō minus quām externa oratio, ut rerum quarum signa sunt, quæcū ipsa uera sunt animi refectio, nomen sortita, uehementius animū inflament, quām si quis citra ista, quantumuis religiose diuina beneficia recolat. Et cū hæc sic se habeant, factū quoq; est, ut doctissimi ac sanctissimi homines, sacramentis, nec iniuria, creberrime p rebus quarum sacramenta & signa sunt, uterentur, non ignari cui quidq; accepto ferendū esset. Ut in superiore exemplo Pauli, de mundatione per lauacrum aquæ cū uerbo, manifeste patet. Solus enim Christi sanguis est, qui ad arā crucis allatus, & ad quatuor cornua orbis oblitus, & ad basim totius terræ fusus mundum expiavit. Adhuc tamen ista cum recolunt, sacramentis non tantum ante oculos ponuntur, sed in mentē usq; penetrant. Verum, quo ducet Spiritu, nisi em cum catechumenū baptizamus, fides cor illius anteoccupauerit, quæ ista sic contempletur ut ea uelut presentia re ipsa habeat, iam nihil potest externa neq; adnunciatio neq; adhibitio. In baptismo infantium satis est fides parentum, aut si illa quocū fallit, fides ecclesiae. Immò istam fidei contemplationem non credo satis grandem esse, nisi rem ipsam tam certe ac indubitate teneat, ac si naturaliter adesset sensibus exposita. Quo factum est, ut ueteres dixerint corpus Christi uerè esse in cœna, id autem duplici nomine, cum propter istam quæ iam dicta est, certam

Quomodo Chri-  
sti corpus uerè  
in cœna.

certam fidei contemplationem, quæ Christū ipsum  
in cruce propter nos deficientē, nihilo minus præ-  
sentem uidet, quam Stephanus carnalibus oculis  
ad dexteram patris regnantem uideret. Et adseue-  
rare audeo, hanc Stephano reuelationem & exhi-  
bitionem sensibiliter esse factam, ut nobis exemplo  
esset, fidelibus cum pro se paterentur, eo semper  
modo adfore, non sensibiliter, sed contemplatione  
& solatio fidei. An enim non multi tam incon-  
cussa fide sunt prædicti, ut si iam ad suplicium rapi-  
antur, Christum tam præsentem habeant, ut quam-  
uis superne non immineat eis uisibiliter, eam ad-  
paritionem nihil morentur? Tum propter natu-  
ram humanam uerè à Dei filio suscepitam. Vrgebat  
enim ueteres Marcion, hac arte, ut quandoquidem  
Christianorum uulgs non diserte nouerat disci-  
minare inter utriusque in Christo naturæ proprie-  
tatem & opera, & tamen uideret inter hæc quæ-  
dam esse, quæ uero corpori nulla ratione congrue-  
rent, quæ tamen Marcion aut nesciebat, aut nole-  
bat in diuinam naturam reiçere. Ex quo facilius  
apud imperitos colligebat Christi corpus non ue-  
rum ac naturale fuisse, sed spirituale, & phanta-  
sticum. Cui errori ut foeliciter occurrerent patres,  
coenam opponebant, in qua Christus corporis sui,  
nimirum ueri & naturalis, sacramentum instituiſ-  
set, quod corpus non spirituale aut phantasticum,  
sed uerum repræsentaret. Hanc ergo ob causam,

uerē adesse Christī corpus dixerunt in cœna , sed solum sacramentaliter. Et nos nunquam negauimus corpus Christī sacrametaliter ac in mysterio esse in cœna. Tum propter fidei contemplationem , tum propter symboli , ut diximus totā actionem. Quæ nostra declaratio & expositio apud Tertullianum nullo labore deprehenditur.

Cum igitur omnis ista præsentia , nihil sit sine fidei contemplatione , iam fidei est , ista esse aut fieri præsentia non sacramentorum. Quantumuis enim sensum compescant & adducant aliquo modo , ad reuerentiam rerum quæ geruntur , adhuc tamen nihil possunt ancille istæ ni hera fides prius in pectoris solio imperet ac regnet. Quibus constat sacramenta non iustificare aut gratiam facere posse , ne scimus enim aliam iustificationem quam fidei. Sequit̄ etiā , quod gratia non est sacramentis alligata. Id quod nulla eget probatione : nam si esset sacramentis alligata , iam quocunq; admouerentur , professent & repararent. Cum aut̄ id sit à uero alienū , sunt enim qui propter perfidiam iudicū sibi manducant & bibunt , iam constat , sacramentis non esse gratiam alligatam , & secundum hoc nec iustificare nec iustificationem dispensare. Sed fidem aut̄ promissionem quæ prius adest , suis quasi fomentis incitare , atcq; testari reliquis de ecclesia membris. Quæ omnia luculentiora fient cum diui Augustini testimonia duo audiuerimus ,

Augustinus

Augustinus de Trini. lib. xv. cap. xxvi. Nec enim aliquis discipulorum eius dedit spiritum sanctum. Orabant quippe ut ueniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis prepositis etiam nunc seruat ecclesia. Denique & Simon Magus offerens Apostolis pecuniam, non ait, Date & mihi hanc potestatem ut dem spiritum sanctum, sed cuicunque, inquit, imposuero manus, ut accipiat spiritum sanctum. Quia neque scriptura superius dixerat, Videns autem Simon quod Apostoli darent spiritum sanctum, sed dixerat, Videntes autem quod per impositionem manuum Apostolorum daretur spiritus sanctus. Propter hoc & ipse Dominus Iesus, spiritum sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo, propterea dictus est, Plenus gratia. Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum, Quoniam unxit eum Deus spiritu sancto. Non utique oleo uisibili, sed dono gratiae, quod uisibili significatur unguento quo baptizatos unguit Ecclesia. Nec sane tunc unctus est Christus spiritu sancto, quando super eum baptizatum uelut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est, ecclesiam suam praefigurare dignatus est, in qua praeceperunt baptizati accipiunt spiritum sanctum, &c.

Ex his Augustini uerbis tria nobis consideranda sunt. Primum, quandoquidem negatur spiritus sanctus dari per discipulos, sed eos tantummodo precari, multo magis, neque sacramentis, per ministros

Principue de-

monstrandi no-  
ta pro Puteo.

adhibitis alligatam esse spiritus sancti collationem.  
Secundo, quod neç manuum impositioni, quod  
ipse non nego sacramentum esse, alligata fuit spiritus  
sancti collatio, cum enim solum orarent ut eis  
daretur spiritus sanctus quibus manum impone-  
bant, iam non pmittere hoc impositione manuum  
suarum poterant. Postremò, quod Augustinus,  
cum dicit, In qua præcipue baptizati accipiunt spi-  
ritum sanctum. Sic omnino symbolice locutus est  
(Nec enim ista uoce, Præcipue, sic usus est, quasi  
certitudinem aliquam significet, quod qui bapti-  
zantur certum sit, spiritum sanctum accipere, sed ut  
ea uelut indicet qmodo his uocibus fit, puta, nempe  
& similibus. Ad hunc sensum, ut puta, in qua Eccle-  
sia baptizati accipiunt spiritum sanctum) ut spiritu  
sanctum recipere non sit baptismi opus, sed baptis-  
mus sit opus recepti spiritus sancti. Quo item respe-

Franciscus Ma-  
ronis apud Ro-  
manenses here-  
ticus iure pro-  
nunciaretur.

xit Franciscus Maronis cum in argumentorū adno-  
tatione sic inquit, Secundum argumentum, quod  
illi qui ministrant sacramenta, si ipsa sacramēta per  
suam uirtutem gratiā causarent, tunc tales ministri  
spiritū sanctū darent. Hæc ille. Quo manifestū fit,  
q quacunq ratione aut figura sermonis, opus ali-  
quod spiritus sancti, symbolis aut sacramentis tri-  
buitur, metonymia fieri cum à re principalī nomen  
ad symbolum transfertur. Ipsa enim Augustini ad-  
notatio, quomodo Christus dudum acceperit ante  
baptismum spiritum sanctum, & quomodo Apo-  
stoli

stoli non dent spiritum sanctum, probant neq; mi-  
nistri neque sacramenti esse, spiritus sancti familia-  
rem cōiunctionem. Ex quo protinus sequitur sym-  
bolicos nō naturales esse sermones, cum sacrāmen-  
tis tribuitur quod sp̄iritus est. Quod iam altero te-  
stimonio fiet adpertius.

Augustinus libro Quæstionum tertio, Quæst.  
Ixxxiiij. Aduertendum est quoties dicit, Ego Dñs  
qui sanctifico eum, loquens de sacerdote, cum hoc  
etiam Mosi dixerit, Et sanctificabis eum. Quomodo  
ergo & Moses sanctificat & Dominus? Nō em  
Moses pro Domino, sed Moses uisibilibus sacra-  
mentis per ministerium suum, Dominus autem in-  
uisibili gratia per sp̄iritum sanctum, ubi est T O-  
**T V S F R V C T V S**, etiā uisibilium sacra-  
torum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gra-  
tiæ, uisibilia sacramenta quid prosunt? Merito autē  
quæritur, utrum etiam ista inuisibilis sanctificatio,  
sine uisibilibus sacramentis, quibus **VISIBIL**  
**TER HOMO SANCTIFICATVR**,  
pariter nihil prosit? Quod utique absurdum est.  
Tolerabilius enim quisq; dixerit, sine illis istam nō  
esse, quam si fuerit, non prodeesse, cum in **I S T A**  
sit omnis utilitas illorum. Sed etiam hoc, Quod si-  
ne illis ista esse non possit, quomodo recte dica-  
tur, intuendum est. Nihil quippe profuit Simo-  
ni Mago uisibilis baptismus, cui sanctificatio inui-  
sibilis defuit. Sed quibus ista inuisibilis quoniam

adfuīt p̄fuit, etiam uisibilia sacramenta perceperant;  
similiter baptizati: Nec tamen Moses qui uisibiliter  
sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse ipsis sacrificia-  
c̄is uel oleo sanctificatus ostendit. Inuisibiliter uero  
sanctificatum, negare quis audeat, cuius tanta gratia  
praeeminebat. Hoc & de Ioanne Baptista dici po-  
test. Prius enim baptizator quam baptizatus adpa-  
ruit. Vnde eum sanctificatum nequaquam negare pos-  
sumus, id tamen in eo factum uisibiliter non inue-  
nimus, antecquam ad ministerium baptizandi ueniret.  
Hoc & de latrone illo, cui secū crucifixo Dominus  
ait, Hodie mecum eris in Paradiso. Nec enim sine  
sanctificatiōe inuisibili tanta felicitate donatus est.  
Proinde colligitur inuisibilē sanctificationem qui-  
busdam adfuīsse atque p̄fuisse sine uisibilibus sacra-  
mentis, quae pro temporū diuersitate mutata sunt,  
ut alia tunc fuerint, & alia modō sint: Visibilem ue-  
ro sanctificationē quae fieret per uisibilia sacra-  
menta, sine ista inuisibili posse adesse, non posse p̄desse.  
Nec tamen ideo sacramentum uisibile contemne-  
dum est. Nam contemptor eius, inuisibiliter sanctifi-  
cari nullo modo potest. Hinc est quod Cornelius  
& qui cum eo erāt, cum iam inuisibiliter infuso san-  
cto spiritu, sanctificati adparerent, baptizati sunt ta-  
men, nec supflua iudicata est uisibilis sanctificatio,  
quam inuisibilis iam præcesserat. Hactenus Augu-  
stinus. Quorsum attineret nunc ista Augustini  
sententiā luce clatiorem per partes retractare? cum  
obuium

obuium sit cuiq; Augustinū olim id sensisse, quod  
nos hodie sentimus. Nempe, sanctificationem spiri-  
tus ueram esse sanctificationem, quæ sine externa,  
dum modò non condemnatur, sicut in latrone ui-  
dere est, sola sufficit ad iustificationem. Immò exter-  
na sine illa nulla est. Quodq; externam sacramen-  
torum iustificationem nemo contemnere debet aut  
negligere. Imò externam non potest negligere aut  
contemnere quicunq; fidem habet, cum datur occa-  
sio. Quis enim quæ charitatis sunt posthabere po-  
terit? Charitas autem Dei & proximi, nónne gestit  
beneficia Dei recolere, laudare, & gratias agendo  
magnificare? nónne gestit p̄ximo uinculo spiritus  
coniungi? & illud palām testari? Nónne cupit ubi  
fidem labi senserit fulciri & in locum restitui? Id au-  
tem ubi gentium commodius, quam in ipsa sacra-  
mentorū actione, inuenturū sperare poterit, quan-  
tum ad omnia sensibilia pertinet. Esto enim omnes  
creaturæ inuitent nos ad numinis contemplationē,  
at omnis ea in uitatio muta est. In sacramentis uero  
uiua & loquens est in uitatio, loquitur enim Domi-  
nus ipse, loquuntur & elementa, atq; idem loquun-  
tur & suadent sensibus, quod menti sermo & spiri-  
tus. Adhuc tamen hæc uisibilia omnia nihil sunt, ni  
inuisibilis sanctificatio spiritus præcedat. Ut sic, ne  
nimis longus sim, cum omnibus aduersarijs, in hac  
de sacramentis & eorum uirtute controuersia, ad  
arbitrū aut sequestrem Augustinum reijsi me pa-

C

tiar. Nam nihil adeo magnifice potest de sacramen-  
tis dici quod me possit offendere, dummodo sym-  
bolice dicta quae sunt, symbolice capiamus, & de-  
mus gloriam Deo, non ministrorum sanctitati, non  
elementorum aut sacramentorum efficacie. Cum enim  
ut in baptismo & Eucharistia irrefragabile est, id  
quod sacramentis significat anteque sacramentis uta-  
mum adsit, quae malum ratio est, sacramentis ea tri-  
buere quae antea habuimus? cum sacramenta id mo-  
do quod habemus confiteantur, testentur & exerce-  
ant. Quousque tentamus spiritum Dei, in re tam ad-  
perta? An non tandem admittitur ad baptismum qui  
aut per fidem aut per promissionem prius Ecclesiae  
conumeratus est? Num non repellitur ab Apostolo  
a coena Domini quisquis fidem suam non explorauit an-  
teque coniuiam se faciat? Frustra igit erunt sacra-  
menta minime, ut dictum est. Praedicant enim salutem a Deo  
datam, sensus huc conuertunt, & subinde fidem ex-  
ercent, quam & proximo pollicentur, & ad frater-  
nam charitatem trahunt. Atque haec omnia dum fiunt,  
unus atque idem operatur spiritus qui inspirando  
nunc citra instrumentum trahit, nunc cum instru-  
mento, quo, quantum, & quem uult.

Diximus in superioribus de sanctificato & con-  
secrato pane, quod nullo modo uolumus Papista-  
rum sensu capi, quasi panis sit conuersus in corpus  
Christi reale aut naturale. Sed in sacramentale, pu-  
ta, si quotidianus panis sanctificatur per uerbum &  
orationem,

orationem, multo magis ille panis qui mutat ut sa-  
cramentale corpus Christi nunc sit, qui prius vulga-  
ris erat, sanctificatur & consecratur ut iam diuinus  
panis sit ac sacer. Prorsus ad eum omnia modū quo  
veteres illū mutari & sanctificari dixerunt. nō quod  
panis substantia in substantiā corporis Christi tran-  
seat, sed quod panis sacramentale corpus Christi  
sit. Quid aut sit sacramentale corpus Christi, non  
est cur scientibus dicam. Modò nolimus ipso sacra-  
mēti nomine rudibus imponere. Et signa sinamus  
esse signa. Quid si quis mihi dicat si sententiam de  
uirtute sacramentorū sententiæ Augustini subiçis:  
quid cause est cur nō redeas in gratiā cum Papistis.  
Respondeo, plurimum dissidij superesse. Illi em̄ tri-  
buunt sacramētis, quasi alligata sit eis diuina uirtus,  
ut ubiuncq; adhibeant, operent, hoc em̄ rem illis au-  
get, ut q̄ omnia Dei dona uenalia habent, im̄ Deū  
ipsum, longe carius q̄ ludas uendunt. Nos aut, sa-  
cramenta nō conferre gratiā, dicimus, sed collatam  
exercere ac testari, quae tanti emunt, quantū gratiæ  
habet, id aut quod prius habetur, non emitur, exer-  
citum uero eius à nullo potest cōparari, nisi exter-  
num, quod citra internam fidei gratiā nihil est. Pro-  
het em̄ seipsum homo, inquit Paulus, Et non, Pro-  
phet quisq; alium, aut sanctificet aliis alium. Hacte-  
nus de sacramentorum uirtute, nūc de Eucharistia,  
breuioribus agemus. His em̄ duobus, uelut colum-  
nis nititur Romana auaricia.

Eucharistiæ certamen, si uerbi eius fides esset,  
Eccius ipse diremisset. Cum dixit in mysterio edi  
Christi corpus in coena, nos enim idem dicimus.  
Deinde dixit corpus quidem edi in coena, sed non  
corporaliter. Nos iterum idem dicimus. Sed cum il  
le dicit in mysterio, iam dolum struit in uoce myste  
rij, idem facit in uoce, corporaliter. Mysterium em  
non intelligit Græcis id ferè esse quod Latinis Sa  
cramentum, ut cum ueteres dixerunt in Mysterio  
edi corpus Christi, intellexerunt, In mysterio, quasi  
dicas mysterialiter aut sacramentaliter. Nam si sic  
intelligeret, omnino cōcordia concinnata esset. Ae  
que transacta esset omnis controversia si corpora  
liter acciperet p naturaliter aut substantialiter. Sed  
cum inter uerum & naturale Christi corpus atque  
inter sacramentale, tertium quoddam inuenierunt,  
non istud spirituale quod nos edimus, uerum tale,  
quod non sit, quantum necq; naturale, necq; etiam sa  
cramentale, hoc est, symbolicum & significatiuum,  
iam satis scio quo sepe proriperent, etiam si centies  
cum illis congredereris. Habent enim latebras duas  
in quas confugiunt. Vna est, Truncū esse qui factū  
istud suū corpus nō capiat. Altera, uerba hoc pos  
sunt quod sonant. Cui hoc unum obstruimus, nam  
priori latebræ posteriore loco obstabimus. Dicat  
igitur mihi, uel dæmonio isti, quo me captū perhi  
bet Eccius, obmutescet & exi de illo, & uideat quo  
modo obmutescamus, dū ille tam impudenter men  
titur,

titur, & tam impie ueritatem discerpit. Non em̄ est  
tut hoc mihi neget. In humanis sum, sponsum eti-  
amnum expecto, spes veniae adhuc in tuto est, vñ-  
de per charitatem hoc mihi debet. Impotentiam cau-  
fari nequit, uerba em̄ possunt quod sonant. Et sunt  
uerba Christi. Sed missis istis ad cognitionem cor-  
poris Christi, suplici prece ad illum, ut nobis adpe-  
riat, fusa, penetremus.

Cum nullis mortalium nobis est dissidium de  
uerbis coenae, quasi uelimus ista immutata esse, ut  
quidam, aut prorsus sublata, ut alij calumniantur.  
Cum enim sic sonant, Hoc est corpus meum, iam  
ipsum sacramentū augustius est quam si diceremus,  
Hoc significat corpus meum, ut omnino nihil ueli-  
mus mutatum esse. Sublata uero è medio, quomo-  
do cupiemus, quæ ne mutata quidem uolumus? Ha-  
bent ergo aduersarij nostri uerba ista, habemus &  
nos. Verba ista illis inconcussa maneant, nam &  
nobis immota manebunt. Hoc est corpus meū quod  
pro uobis dat. Et hic est sanguis meus, &c. Dicunt  
aduersarij hic præberi corpus Christi, idem & nos  
dicimus. Vbi ergo dissidiū est? Hic est: Dicunt ad-  
uersarij corpus Christi naturale et substantiale præ-  
beri, nos sacramentale. Hinc pugnæ: Respondeant  
igitur, an uelint uerba ista, Hoc est corpus meum,  
naturaliter intelligere, aut spiritualiter, hoc est, an  
corpus suum præbuerit naturaliter edendū an spi-  
ritualiter, nam inter naturale siue corporale & spi-

rituale non est medium, etiam si universa, creatorem  
& creature in unum cogenas, aut spiritus erunt aut  
corpus. Huc ergo arenæ illos expostulo, an scilicet  
naturaliter ac corporaliter, an uero spiritualiter pre-  
buerit corpus suum ad edendum. Si dicant spiritua-  
liter, iam cesserunt sententia & ad nos transierunt.  
Si dicant corporaliter, iam negabunt sua placita.  
Dicunt enim corpus edi, at non corporaliter, quæ  
quidem declinatio uerborum est non rei. Nam si  
Christi corpus corporaliter & naturaliter est cor-  
pus, & isti naturale corpus edunt, edunt etiam cor-  
poraliter, nam aliter edere quam est, friuolum est di-  
cere. Nihil enim moror, ea quæ me ignorare adse-  
uerat Eccius, corpus uerum ac reale, at non corpo-  
raliter, definitiue, circumscriptiue esse in loco, & id  
genus nugas, uerba querentiū. Nos enim ad ueri-  
tatis fontes recurrimus, & dicimus. Si corpus Christi  
finitum est, si uerè clarificatum corpus est quo-  
modo & nostra erunt, iam corporaliter est, & uerè  
est, eo modo quo clarificata corpora sunt. Quo  
modo igitur est, eo modo editur, si naturaliter edit.  
Nam, quomodo, à naturali corpore separari nequit.  
Si uero, quomodo, ab eo separe, iam non est natu-  
rale corpus, sed spirituale. Et iterum uicimus. Nam  
Quomodo sit res, intellectu potest separari à re, at  
re ipsa separari nequit, quicquid enim est, suæ speciei  
proprium & inseparabile habet quomodo sit, sine  
quo nunquam est, nec esse potest quam diu ea spe-  
cies

Quomodo, se-  
paratur ratione  
à re non uere.

cies manet, quicquid tandem intellectus nostri se-  
parent, addant, colligant, disjicant. Quod fortasse  
Eccius Sophistica seductus non intelligit. Nos au-  
tem intelligimus & scimus nos uera & firma dicere,  
cum testimonij diuinæ scripturæ, tum diui Augu-  
stini sententia fulti. Qui Christi corpus in aliquo  
coeli loco ponit, propter ueri corporis modum. Si  
uerum Christi corpus modum corporis sic habet,  
ut in aliquo coeli loco sit positum, proprium ergo  
& inseparabilem modum tribuit illi Augustinus.  
Cogemus igitur qui naturale, substancialle, aut rea-  
le Christi corpus naturaliter, substancialiter ac rea-  
liter edere uolent, etiam corporaliter edere, secun-  
dum omnia quæ inseparabiliter adsunt corpori, nā  
preter istos modos uerum corpus non esset. Quod  
perpetuò clamamus, sed etiā perpetuò frustra. Te-  
net oīj, ignorantiae, & uanæ gloriae affectus, hu-  
manos oculos ubi superauerint, pinde ac tyrannus  
liberum hominem, ut quemadmodū ille non auder-  
quod uerū est, ploqui: sic hisce affectibus prestigia-  
tus nihil uideat quod uerū est ac infallibile. Ut non  
sit ô prudentissimi Germaniae proceres, cur cuiqp  
doctorum fidatis qui hoc sæculo in hanc cōtentio-  
nem inciderunt. Sed Dominus exorandus est, ut  
fluctuantes sistat. Satis enim uobis perspectum est,  
quam friuolas glossas, quas uerborum uersuras ex-  
cogitent, qui ne uicti uideantur, nunc à diuinis lite-  
ris ad patres prouocant, mox à patribus ad nuda.

Substantialle p  
animali, non pro  
substancialia diuina  
na hic debes lector accipere.

(ut ipsi aiunt) uerba. Interrogate fidem uestrā, atque  
adeò mentem & cor uestrum, & illa dicent, omnino  
spirituale esse quod h̄ic saturat. Quòd si cōfiteamis-  
ni, cur dissidemus: cum nos idem & sentiamus &  
confiteamur: Porrò quòd sacramentum, corpus nō  
tantum adpellatur, sed etiam sensibiliter repræsen-  
tat & significat, quo sensus quoque nostri aut mone-  
antur aut compescantur, iam nos non offendit, ut  
etiam si uniuersa quæ spiritus operatur externo sa-  
cramento referantur, dum modo symbolice dicta,  
quomodo patres locuti sunt, intelligamus, nihil simus  
succensuri. De uerbis stultum est cōtendere cum in  
re non dissentimus. Dudum diximus corpus Chri-  
sti esse in coena, fidei contēplatione, nunc quocunque  
se uertat omnes aduersari nihil opis inuenient quo  
aliter in coenam trahant. Quæ ergo iniquitas est, à  
clamosis & rixosis hominibus aliò trahi: Sed ut fi-  
niamus hanc quærimoniam. Exemplum breue po-  
nemus, in quo nostra de Eucharistia sententia uelut  
adumbretur.

Cum paterfamilias peregre profecturus, nobis-  
lissimum annulum suum, in quo imago sua expres-  
sa est, coniugi matrifamiliae, his uerbis tradit: En me  
tibi maritum tuum quem absentem teneas & quo  
te oblectes. Iam ille paterfamiliae, Domini nostri Ies-  
su Christi typum gerit. Is enim abiens Ecclesiæ con-  
iugi suæ, imaginem suam in coenæ sacramento reli-  
quit. Sicut enim ille spei nostræ firmamentum est,

sic

Corpus Christi  
adest in coena fi-  
dei contempla-  
tione.

Sic panis homines confirmat. Et sicut uinum cor ho-  
minis exhilarat, sic ille desperabundas conscientias  
erigit. Hanc suam imaginem sic tradidit: Hoc est Quomodo panis  
& uinum sint  
imago corporis  
Christi.  
corpus meū, sacramentaliter atq; in signo, sicut an-  
nulus est paterfamilias. Hoc facite in meam comme-  
morationē. Gratulando, laudes & preces funden-  
do ac offerendo quōd ego sponsus animarum ue-  
strarum uos redemerim. Cum isthic paterfamilias  
dicit, En meipsum tibi, longe plus dat quām si dice-  
ret, En tibi annulum meum, etiamsi re ipsa & corpo-  
raliter sese non det, ut qui iam abiturus sit. Seipsum  
aut̄ his uerbis totū, quantus quantus est in cōiugali  
fide & amore, donat, quasi diceret: Nolo de fide &  
amore in te solūmodo certa sis, sed de hoc quoq; q̄  
totus tuus sum, & huius rei gratia Annulum istum  
tibi, quem unicum ac suūmum habeo, tibi do in sym-  
bolum ac signum, ut quoties eum intuearis, me ue-  
lut præsentem habeas, imaginem ac fidem meā reco-  
las. Sic in Eucharistia, cū Homo ille nobilis abitu-  
rus esset in regionem longinquam, panem ac uinū  
præbens, longe uiuidius ac peculiarius sese nobis  
dabat, cum diceret, Hoc est corpus meum, quām si  
dixisset, Hoc est symbolū corporis mei, etiamsi na-  
turale corpus suū ablaturus ac coelo illaturus esset.  
Nihilo tamen minus sese totum quōd ad fidem &  
gratiā p̄tinet his uerbis donat, quasi diceret, Nunc  
in mortē pro uobis eo, paulò post ex integro hinc  
migraturus. At nolo de amore & cura in uos mea

D

ambigatis. Totus uester sum, quantus quātus sum.  
In cuius rei testimonium, huius meæ traditionis ac  
testamenti symbolum uobis cōmendo, quo memo  
riam mei meorum & beneficiorū excitetis. Vt cum  
uobis hunc panē & hunc calycom exhiberi uideatis  
in memoriali coena, non aliter sitis mei memores, q̄  
scilicet me p̄ uobis tradiderim, quām si uideretis me  
coram, quemadmodum nunc uidetis, & uobiscum  
conuiuari & mox ad supliciū pro uobis à uobis ra  
pi. &c. Sic inquam nos cœnā Domini splendidam  
Christi presentia habemus. At in his omnibus, an  
non sacramentaliter & fidei cōtemplatione corpus  
Christi præsens esse, ut semp̄ diximus, summa totius  
rei est. Vt em̄ annulus ille cōiugis uxori nō uulga  
re aurū est, sed plus q̄b̄ uniuersa Indiæ myrmecia: sic  
& nobis hoc sacramentū, cœnę scilicet Dñicæ cibus  
et potus, omnem gustum omniū lautitiarū superat,  
Et sicut annulus re ipsa maritus non est, ad præcium  
tamen mariti adspirat, quod ab illo est in perpetui  
amoris signum datus, quodq̄b̄ illum quoties inspici  
tur, repræsentat. Sic cœnæ refectio Christi corpus  
naturale non est, sed in præcium ingens ascendit, q̄  
ad perpetuum amoris Christi signum data & insti  
tuta est, quodq̄b̄ illa quoties celebratur, eum, qui nos  
sic amat, sic repræsentat ut mentis oculis illum nihil  
quām intueamur, miremur, exosculemur. Quæ si  
dei cōtemplatio, ut longe præciosior est quām cor  
poris illius etiam cōrectatio, contrectarunt enim il

lud

Iudicium suam perniciē multi corporaliter, sed fide nemo unquam sic contemplatus est, ut diximus, absq; salute: Ita hæc una cōtemplatio siue manducatio in coena requiritur. Probare enim fidem iubet Paulus non credulitatem aut opinionem, num non ambigamus de corporali comeditione. Hic quoq; id nul latenus prætereundum est: Vxorem mariti annulum tanti facturam quantus est amor in illum. Sic in coena: Christi corpus tanto præsentius est fidei contemplatione menti quanto maior est fides & charitas Christi. Hinc nati sunt huiusmodi sermones. Ferebatur suis manibus, non aliter puta, quām cum sese maritus exhibebat uxori: Coniuua erat & conuiuum, is enim erat qui se sacramentaliter exhibebat, & naturaliter cum illis adsidebat & conuiuabatur. Sic inquam intelligimus hyperochas & hyperbolas de Eucharistia. Et quòd iam sæpe testati sumus, omnes huiusmodi sermones facile feremus, dummodo quæ de spirituali manducatione dicta sunt, non carnaliter pergamus intelligere, & quæ symbolice dicta sunt, in signo, ut Augustinus quoque loqui solitus est, intelligamus.

Porrò quod ad Eccū adtinet, adeò elumbis ac impotens est eius cōfutatio, ut confessio nostra defensione nihil egeat. Et ubi sui quid sperare debuisserit, ibi totus friget, puta, in sollicitandis à nobis ueteribus, & euertendis argumentis. Quem enim ille risum cui non moueat, cum Augustini hæc uerba,

Non enim Dominus dubitauit dicere, Hoc est cor  
pus meum, cum signum daret corporis sui, sic expo  
nit. Accidentia quae sine subiecto sunt, signum sunt  
corporis Christi. Dico enim, Ergo accidentia sunt  
sacramentum, nam signum ut hic ponitur, pro sa  
cramento accipit. Ergo Augustinus dixit Christū  
accidentia præbuisse discipulis, dicit enim, cum si  
gnum daret. Ergo cum ipsi dicunt, Christi corpus  
est in sacramento altaris, dixerunt Christus est in  
accidentibus. Ergo falsum est quod docent, Christi  
corpus scilicet sacramentū esse & rem sacramenti,  
nam accidentia sunt sacramentum, aut Christi cor  
pus est illis accidens. Et huiusmodi stulta & absur  
da quis enumeret, quae ad eius dicta & glossas se  
querentur? Hoc quoq; bellum est quod de duabus  
manibus, una anima rectis, Philosophus tamen ni  
dijs displiceat, adducit. Quasi uero concedat duo  
corpora Christum simul habuisse, quemadmodum  
sunt duæ manus, nam de anima Christi quot illa si  
mul membra regat nunquam disputauimus. Aut  
quasi, cum uult unam animam Christi duo simul  
corpora rexisse, quod impium est, duo ista secundū  
Eccliam corpora Christi paria similiaq; fuerint, per  
inde ac duæ manus pares sunt. Cum nos, si duo ha  
beret corpora Christus simul, dixissetemus imparia  
esse oportuisse, alterum morti obnoxium alterum  
immortale. Sed de hisce ineptijs desino disputare.

Porrò de calumnijs & mendacijs, hoc dico, tot  
ac tanta

ac tanta esse ut si ea è libro tollas, nihil futurum esse reliquū, quod Vulcano sacrifices, quo uno dignus est liber, etiam si quid ueri haberet, ne tanta & impunita rabies, unquam in exemplum ueniret. Qualia sunt. Vrbes me quasdam à fide domus Austriacæ alienasse. Seditiones, Rotuylæ, ubi nunquam fui, & Ittingæ, cuius causa maximè indolui, & labores multos tuli, excitasse. Balthazarem Catabaptistam ad errorem per epistolam traxisse, ad quem, preter unam, in qua propter suscepsum errorem acerrime hominem accepi, nullam unquam dedi, quòd suspecta semper essent mihi eius tum ingeniu tum commercium. Primo enim congressu quo ille me adiit, narrauit quām anxie fuerit Eccio coniunctus. Ibi mox hominis per se arrogantis prauitatē hoc contubernio auctiorem esse factam nihil dubitaui, unde illum propius nunquam admisi. Ut aliquando per cōsūtium expostulauerit mecum quasi se talem, iniuria, negligerem. Quòd autē uel à baptismo infantium unquam abhorruerim, uel Catabaptismū redoleuerim, nemo boni ac ueri amans unquam de me dixit. Testes enim non uulgares sistere possum qui scīunt quomodo aliquorū lucubrationes, quas biennio quām Catabaptistæ prodīrent, concinnauerant, de nō baptizandis infantibus, oppresserim, intra tamen amiciciam, atq; monuerim scripturarū sensum hac in re aliter habere. Balthazar hanc syngrapham meam habuit, nimirum aut carnifices

ei⁹, apud illum deprehenderunt, aut Catabaptistis.  
ille reliquit. Exhibeant ergo qui habent, & me pro-  
ditionis aut perduellionis manifestum faciant.


Eiusdem generis est, quod dicit me ueteribus  
Orthodoxis obtrusisse quasi illi scripserint corpus  
Christi esse ubiqz. Quod de crucibus in Missa  
ad confutandum & dehortandum dixi per <sup>et iorop.</sup>  
hoc ille me definitiue dixisse adseuerat. Id ego nego  
& pnego. Sed quis tam stolidus sit atqz nos si per-  
gamus mendacis hominis uniuersa mendacia recen-  
sere. Hactenus de his quae ad doctrinam pertinent,  
nam cætera quae huius generis ille uellicat, non iam  
docti sed lippi & tonsores ab eius iniuria defendēt.


Ciuitatem Tigurinorū uetustissimam, id quod  
res priscæ, & maxime Lucius Cassius Consul Ro-  
manus ab eis cæsus, iam tot sæculis prædicat, non  
tantum in Carolum magnum reijcit, homo rerum  
imperitus, uerum etiam confictis mendacijs sic co-  
ram mundo proscindit, ut pessime meritam urbem  
nō possit impudentius. Cū constet tam istis quam  
retro temporibus nullam, nullam dico, tanta fide  
tot sæculis Romanum imperium coluisse, nullius  
etiam unius opera, maiora emolimenta ad Austria-  
cam domum atqz adeò ad imperium ipsum redijs-  
se. Qua in re ducum Austriae & imperatorum di-  
urnales ad testimoniuū cito, post ueteres historias.  
Ea urbs, uera dico, quamuis ærarium suum in E-  
uangelij usum, hauserit, ne unum tamen ex mona-  
sterijs


sterijs in ærarium retulit. Sed uniuersa aut manent ad sustentationem eorum qui in monasteria instituti, uel qui doctrinæ præfecti sunt, aut in ærarium pauperum referuntur. Nos cistam nullā habemus, nec furari didicimus.


Proinde illustrissimi principes, uidete quò tendat Papæ promachus, Romanenses uice Synodi, nimirū generalis, habituros comitia ista uestra nihil obscure significat. Cæsarem adpertius ad arma vocat. Quæ quò eruptura sint celitudo uestra prospiciat. Imminent undiq; pericula, sed ea omnia dissipabit Dominus si ueritatem ac iusticiam manu te-neatis. Contra ueritatem aliquid statuisse pernicies est: Ei uero cessisse prima salus. Hanc ut hic colamus atq; per speculum intueamur, Isthic uero contemplemur & amplectamur, det Deus Opt. Max. Amen. Tiguri X X VII. die Augusti. Anno M. D. XXX.

















R

E